



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Goar Conf. 6. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

diceret, qui saxa etiam traheret. Præsul Hirfaugiensis in miseros tam pius fuit, ut his vestiendis non semel panem se ipsum nudarit. Sed nimirum fœnus à nullis majus, quàm ab his ipsis, qui reddere nihil possunt, avarus speret. Hoc certè VVILHELMVS tunc tulit, cum in suorum usus pondo argenti V. ab ignotâ terris sed non etiam cælo manu abstulit. Quid jam horrea memorem, quæ, quòd VVILHELMI liberalitas exhausisset, subitam miramque messem; quid cellam, quæ effuso per negligentiam vino, novam in dolio vindemiam viderunt? quid piscatum felicissimum? cum missum sæpius in aquas rete præter laborem inanem diu nihil, post imperio Divi Christi que nomine immisum ingentem piscium prædam retulit. Taceo hæc aliaque à morte miracula; & revocatam per VVILHELMVM ad primas leges D. Benedicti per omnem ferè Galliam & Germaniam familiam, & ad Religiosæ vitæ amorem vilissimaque in hac munia excitos Nobilissimos juvenes laudo, piscatum priori longè præferendum. Caterum atra sua VVILHELMVS propioribus oculis aspexit anno Christiano M.XCI. *Ex Trithemio.*

*Eleemosynam, quantum possumus, & quamdiu vivimus, & ipsi habere, & aliis impendere festinemus, ut securi possimus in die Iudicii dicere; Da Domine, quia dedimus; nos fecimus quod jussisti, tu imple, quod promissisti. B. Cæsar. hom. 15.*

## S. GOAR CONF. 6. Iulii.

**I**ure meritissimo inter Apostolos suos GOAREM numerant Trevirenses, ut quibus ille superstitione implicitis inter primos DEVM nuntiavit. Sed dum illum æquis auribus vel maxime audivit popu-

populus, iniquis invidia oculis spectavit. Quare more suo subornavit, qui apud Archiepiscopum innocentiam ejus infimularent. Gemini erant è fraudibus & mendaciis compositi. Eos GOAR ad se venientes, ut vindictam Christianam sumeret, amicè accepit & ad mensam invitavit. Sed eadem invidia, quæ non nisi infelicitate GOARIS pasci, nec bibere nisi hujus sanguinem avebat, respuit aliis famem aut sitim pellerè. Quare ex itinere defecissent scilicet, nisi semper ad vindictam vigilans GOAR feras Christi imperio advocasset, & earum lacte recreatos hostes animam sibi fecisset debere. Ad tribunal Archiepiscopi ubi ventum, luce clariùs meridianâ apparuit innocentem esse GOAREM, quando pallium suum in ipsius solis radiis suspendit. Adhæc ex puero projectio cum jussu Archiepiscopi nomen parentis quæsiisset, ecce facundissimus infans linguâ digitoque ipsum Archiepiscopum prodidit. Erat hoc scilicet absolvere reum & Judicem damnare. Quare populus ad infulam GOAREM velle vocare, & cum respueret, vim amicam inferre. Sed ab hac iterum illum ægritudo absolvit, quam precibus à cælo extorsit. Præstare credidit morbo quàm ambitione laborare. *Ex Surio.*

*Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mitantur, & quia laqueus est mortis lingua susurronis & bilinguis, parcat unusquisque anima sua, ne in supplicium suum vincula sibi mortis innectat. Ama pacem & tranquilla sunt omnia. S. Pet. Chrysol. serm. 53.*

S. GODELEVA MART. 6. Julii.

Quoties fallit Amor, positâque larvâ tyrannum se ostentat? Ecce hic etiam dies exemplum